Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 407
Quelle:
Copyright:

Bibliis praedictis pariter *Lirano* adſcribitur, eadem penitus eſt, quae in noſtro *Codice* habetur.

II. *fol.* 65. ſuccedit prolixus Recenſus *Lectionum variantium* ſacri Codicis, non omiſſis *Hieronymi Prologis*, omiſſo tamen *Pſalterio*. Fontes laborioſi Compilatoris ſunt Textus Hebraeus, Rabbini, Septuaginta Interpretes, Hieronymus, Alii, Exemplaria antiqua et moderna, proque N. T. etiam Textus Graecus, quos hiſce Notis indicat: *h. Ra.* LXX. *Jer. al. an. Mo. G.* En ſpecimina. *Frater ambroſius &c. Jer.* et ueteris amicitie noua. *ſed an. libri non habent* noua *ſed habent ſic* que a principio amicitiarum fidem probate iam ueteris amicicie preferebant. *Jer.* maria *uel* mare tranſiſſe. *Jer. ſic.* pitagoras menthphniticos uates. *aliqui habent* menthphniticus uates. *Jer.* cuiusque doctrinas *uel* doctrinam. *Jer.* ductus captiuus *an. non habent* ductus. *ſed Mo. habent. Jer.* maior emente ſe fuit *al. habent* maiore mente. Lectiones in *Geneſin* in 50. Articulos tributae ſunt juxta hodiernum numerum *Capitum* et ſic ineunt: *In principio creauit deus celum et terram &c. Jer.* et tenebre ſuper faciem abyſſi. *ſed al. habent* erant. *ſed g. be. an. non habent. Jer.* et ſpiritus dei ferebatur. *aliqui habent* domini. *ſed be. an. Je. auguſt. habent* dei. *Jer.* et diuiderent lucem ac tenebras. *al. habent* ut diuiderent. *ſed be. et an. habent* et. *Jer.* producant aque reptile. *ſic habent LXX. an. Ra. non* reptilia. *Jer.* Vniuerſeque terre omnique reptili. *ſic habent be. an. Ra. al. an.* creature. *Jer.* et creauit deus hominem ad ymaginem ſuam. *al. habent* ad ymaginem et ſimilitudinem. *ſed an. Ra. non habent* ſimilitudinem *ibi. nec LXX. nec be. Jer.* ut habeant ad ueſcendum. *Ra. non habent* ut habeant. Ita proceditur usque ad finem *Apocalypſeos*, additis etiam ſubtiliore calamo, eadem tamen aetate, per margines ſubplementis. *Job.* C. V. v. 7. ſic Noſter: *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in celo. hic corrupti ſunt quidam libri grecorum, ut ait beatus Jeronimus. qui hoc capitulum non habent in quo maxime roboratur fides catholica. quod autem ſequitur.* et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra *&c. habent greci ſicut hic iacet in ſerie. et quomodo ſpiritus aqua et ſanguis unum ſint exponit beatus ambroſius in libro de ſpiritu ſancto cap.* VI. Per novum maxime Teſtamentum frequenter adpellat ad *Biblia Pariſienſia.* Graecis literis illum aliquid expreſſiſſe non reperio. Ad *Cantica* tamen *Cantic. fol.* 107. p. 2. in margine jacet *Sunamitis hebraice* שולמית.

III. *fol.* 148. Novus variantium Lectionum Adparatus, praecedente paullo brevior, omnia tamen eadem pervadens. In *Epiſtola Hier. ad Paulin.* ad illud: *το δογμα, την μεθοδον, την ἐμπειριαν*, quas voces corrupte adfert Compilator, *Biblia Senonenſis* citatur, et ad vocem *Homerocentonas* inter alia notatur: *Cento centonis filtrum* (nobis Filz) *gallice feutre.* Unde Compilationis hujus Patria erui-